

CORPUS HAGIOGRAPHICUM SANCTI HYMERII ¹

È noto, ed è ovvio, che per venerare un santo si elaborino testi che lo celebrino nel giorno della festa, letterature che ne interpretino la vita attraverso modelli, *topoi* caratteristici. Come per molti santi medievali anche intorno al culto delle reliquie di Imerio si è gradualmente creato un *corpus hagiographicum* secondo la più classica tradizione medievale:

Durante l'epoca merovingia racconti di traslationes si ritrovano spesso nelle vitae e nelle passiones e servono da ponte tra i miracula ante mortem e i miracula post mortem... Tanto nei testi composti in questo periodo, quanto nella rielaborazione di precedenti documenti agiografici si trova generalmente una *vita* o una *passio*, una *translatio* e un *liber miraculorum*².

Questa tradizione continua anche per l'antico patrono di Cremona, che verso la metà del sec. XII viene provvisto, infatti, di una *vita*, del racconto della *translatio* e di un *libellus miraculorum* che ne celebri la forza intercessoria.

Nel corpo della presente ricerca abbiamo analizzato e datato i vari testi per verificare la tipologia del culto di Imerio a Cremona e per indagare il collegamento tra culto dei santi, città e chiesa locale³. Qui voglio renderli più accessibili, poiché sono dispersi in pubblicazioni ormai lontane nel tempo e anche perché si rendeva necessaria la revisione critica di quelle stesse edizioni.

¹ Estratto da: D. PIAZZI, *Dal sacramentario al Messale: frammenti liturgici cremonesi tra XII e XIII secolo*, Nuova Editrice Cremonese, Cremona 2006, pp. 312-336.

² P. J. GEARY, *Furta sacra, La trafugazione delle reliquie nel medioevo*, Milano 2000, p. 15.

³ Vedi pp. 328 – 356.

L'UFFICIO RIMATO DI SANT'IMERIO

Seguendo la scelta del primo editore dell'ufficio del Santo, Felice Zanoni⁴, prendo come base della trascrizione (colonna di sinistra) la lezione dell'*Antifonario*, Codex XI, ff. 151-163 (= COD XI) della cattedrale, ora conservato all'Archivio Storico Diocesano. Il codice è stato scritto e miniato a metà del sec. XV⁵. Essendo un antifonario non ci dà, però, inni, letture e orazioni, perciò come secondo testo di riferimento prendo la lezione dell'Ufficio di Imerio come ci è offerta dal *Breviario* di Oxford (= OX)⁶, contemporaneo dei corali della cattedrale, scritto per Cremona e databile alla seconda metà del sec. XV. Le integrazioni prese da questo secondo codice sono trascritte nella colonna di destra. Anche lo Zanoni aveva utilizzato quest'ultimo codice, ma così come era stato edito dal Dreves in AH⁷ e quindi ha registrato anche i suoi errori di lettura e di datazione del manoscritto. Qui, invece, il confronto è stato fatto su fotografie del manoscritto originale. In nota si segnaleranno le varianti notevoli anche di un terzo manoscritto che ci trasmette l'ufficio del santo, l'*Antifonario*, Codex VIII, ff. 167-187 (= Cod. VIII), sempre della cattedrale, uscito dallo scriptorio dei fratelli Gadio e miniato da Giovanni Gadio nel 1480. Le rubriche saranno trascritte in corsivo, i titoli (anch'essi rubricati nei manoscritti) saranno trascritti in maiuscoletto. Per poter citare i testi li ho numerati, ponendo il numero tra parentesi quadre.

⁴ F. ZANONI, *Vita metrica dei SS. Imerio e Omobono secondo gli Uffici rimati della Cattedrale*, Cremona 1957, p. 21 (Annali della Biblioteca Governativa e Libreria Civica di Cremona IX fasc.1).

⁵ F. ZANONI, *I corali del Duomo di Cremona. Catalogo descrittivo*, Cremona 1955 ((Annali della Biblioteca Governativa e Libreria Civica di Cremona VIII parte II).

⁶ OXFORD, Bodleian Library, *Breviario*, ms. Can. Lit. 165, sec. XV, f. 315r-318r. S. J. P. VAN DIJK, *Handbest of de Latin liturgical Mss. In the Bodleian Library, Oxford*, vol. 2, (inventario dattiloscritto) 1957, p. 306.

⁷ Il Dreves pubblica l'ufficio di Imerio in due volumi distinti, l'inno – ricostruito – a parte (AH 19, n. 279) rispetto alle antifone e ai responsori (AH 24, n. 81). Questi nel primo volume data il *Breviario* al XVI sec., nel secondo al XV.

COD XI + COD VIII + OX

IN VIGILIA SANCTI YMERII
CONFESSORIS.
IN VESPERIS

[1]

[*a.*] Psalat ac sincerius
die plebs fidelis
qua⁸ pater ymerius
natus est in celis.
ps. Dixit⁹.

[2]

an. Dum esset in corpore
christum est secutus
a¹⁰ primevo tempore
sacris institutus.
ps. Confitebor.

[3]

a. Quamquam tractus gesserit
presulatus curam
numquam tamen deserit
mentem deo puram.
ps. Beatus¹¹.

[4]

an. Mundum a contagio
mundi se servavit
et celi collegio
sese coaptavit.
ps. Laudate pueri.

[5]

a. Carnis clausus carcere
dissolvi cupivit¹²
et cum christo vivere
cum quo modo¹³ vivit.
ps. Credidi.¹⁴

[6]

cap. Ecce sacerdos magnus.

[7]

R. Ecce dies ducens solatium,
ornans celi terreque spacium.
Extollamus cristi preconium
et beatum patrem ymerium.

⁸ *Omittit* OX.

⁹ Dixit] Dixit dominus OX.

¹⁰ A] *Omittit* OX.

¹¹ Beatus] Beatus vir OX.

¹² Cupivit] cupit OX.

¹³ Modo] moto OX.

¹⁴ Laudate dominum omnes gentes OX

V. Quamquam nullus tam preclari
queat acta digne fari.
Gloria patri et filio
et spiritui sancto¹⁵.

[8]

Ymnus. Antistitis magni[fici].

Hymnus

Antistitis magnifici
confessoris ymerii
preclara mirabilia
promat cuncta preconia

Quamquam eius miracula
sit dicere [...] ¹⁶,
unum tamen de milibus
in nostris sonet vocibus.

Huius patris ad tumulum
iacenti ceco strenuum
lucem redire frigida
limpha cadens de situla.

Sit tibi laus et gloria
decus perpes victoria
honor virtus ingenito
nunc et in perpetuum.
Amen¹⁷.

[9]

V. Ora pro nobis sancte ymerii.

R. Ut digni efficiamur promissionibus christi.

[10]

Ad m. Magnificat ymerium
lux vere sapientie
decor virtutum omnium
thesaurus celesti¹⁸ gratie.

[11]

oratio

Imploret maiestatem tuam pro nobis beatus ymerius pontifex et
confessor tuus, domine, et quem patronum donasti fac tuis
fidelibus esse tutorem. Per.

¹⁵ *Omittit Ox*

¹⁶ Il copista ha omissso la finale del verso. Il Drevés in AH 19, n. 279 ha letto così il manoscritto: sit dicere non omnia / unum talem de milibus. L'integrazione è plausibile, ma l'espressione *non omnia* non c'è nel codice.

¹⁷ L'inno è stato ricomposto in AH 19 n. 279, infatti ai primi vesperi il copista offre le prime tre strofe e la dossologia, alle Lodi trascrive le ultime tre strofe e cita la dossologia (vedi oltre n. 54).

¹⁸ christi OX

AD MATUTINUM

COD XI + COD VIII + OX

OX

[12]

*Super Venite*¹⁹. Deo nunc verius
ymnus impenditur.
per quem ymerius
sanctus ostenditur.
ps. Venite.

[13]

Hymnus. Antistitis magnifici.

In i nocturno

[14]

a. Inclitus ymerius
parvulus²⁰ etate
vir erat iam validus
mentis probitate²¹.
ps. Beatus²².

[15]

a. Natus ex abrucia
fuit hic beatus
puritatis gratia
digne sic vocatus.
ps. Quare²³.

[16]

a. Cristi famulatu
totus inherebat
et doctrine cultui²⁴
vigil intendebat.
ps. Domine quid.

[17]

V. Ecce sacerdos.

[17bis]

V. Amavit eum dominus et ornavit
eum.
R. Stulam glorie induit eum.

[18]

lectiones leguntur de translatione eius et de miraculis.

[19]

lectio i

Fuit in diebus Othonis maioris, clarissimi imperatori, quidam
Cremonensis episcopus bonae memoriae, Luizo, intimus sumista

¹⁹ *Super Venite*] *Invitatorium* OX.

²⁰ Parvulus] puerus OX.

²¹ mentis probitate] meritis probitate Cod VIII.

²² Beatus] Beatus vir OX.

²³ Quare] Quare fremuerunt OX

²⁴ cultui] cultru OX.

regius, in commisso benignus, in consilio providus, amore divino sicque repletus, ut tanti patris ymerii aptus inventor et portitor fieret almus. Qui cum frequenter ingrediens et exiens a facie regia, fideliterque agens erga imperialia praecepta, romanis inesset partibus, venit ad eum miliensis episcopus quem malivola turbatio discorsque accusatio fecerat exper-tem a conspectu regio, qui sic est orsus voce lugubri: pater caris-sime, quem imperator in seculi regni culmine dicavit, deprecor michi subvenire».

[20]

R. Superno docta lumine
cremona dirigatur,
cordis absque velamine
cristo confiteatur,
[*] per quem tanto munimine
protecta roboratur.
V. Almi patris ymerii
confessoris egregii
dum honore ditatur²⁵. Per.

[21]

lectio ii

«Quoniam quidem accusatione dampnatus, nugerula ac iniuste acri percussus sententia, imperiali sum privatus gratia. Nunc, ergo, adiuva, meam condolens abiectionem. Recompensabo enim te quovis munere». Cui ille: «Si felix, inquit, sanctorum corporibus me habendo aliquod felicem feceris, te reddam benevolentiae pristinae regis». At haec ille: «Non audeo, inquit, in hoc tuis satisfacere rogationibus. Condita enim sunt sanctorum corpora sacris altaris (*sic*), sed est mihi unus, arca in lignea positus, quem illius loci incolae summo venerantur honore, ymerius nomine. Si hunc inferre valerem ratione aliqua et ad tuam possem transferre patriam, te fore laetandum scio tanto patre beato. His vero relatis sermonibus, ad sancti flaviani opidum venire protinus et alma calliditate ingressi sunt ecclesiam, quasi nocturna celebraturi mysteria.

[22]

R. Ab etatis prime curriculis
literarum imbutus studiis
[*] dat se sacris totum oraculis,
voluptatis liber a viciis.
V. Mundi pompas vitans attentius,
homo dei, sanctus ymerius. Dat.

[23]

lectio iii

Prostrati namque in oratione diutius, multis vacabant votis et precibus, quo suis sancti faverent petitionibus. Vix expletis orationibus, totus ille contremuit locus, in quo iacebat sanctus ymerius. At praesules, quamvis tremefacti, tamen spe credula propius sunt aggressi. Interea, custodibus gravi somno dormientibus, adierunt episcopi ad sancti sepulchrum ymerii. Qui dum caeperunt arcam frangere, beatum corpus conantes extrahere, expergefactus ex custodibus caepit clamare: «Surgite, fratres, surgite velociter:

²⁵ Ditatur] dicatur OX.

nobis beati ymerii furatur corpus». Quo luizo praesul egregius audito custode, occurrens illico eique dans munera peciit silentia. Ille vero, sancto accepto precio suoque viso episcopo, tacens contulit praesidium. Tunc pontifices, corpus tollentes celebre, adoraverunt tanto gavisi munere.

[24]

R. Beatus vir ymerius,
serviret ut liberius
deo maiori vita,
maris in quadam insula
[*] per annorum curricula²⁶
vixit anachorita.
V. Ubi cordis in gaudio
angelico tripudio
perfruebatur ita²⁷. Per.
Gloria patri et filio
et spiritui sancto.

In ii nocturno

[25]

a. Imerius rem nomini
quod purus explanatur
iungens antistes domini
pure conversabatur.

ps. Cum invocarem.

[26]

a. Quidquid habere potuit
humane facultatis
pauperibus distribuit,
amator paupertatis.

ps. Verba²⁸.

[27]

an. In predicandi gratia
vir sanctus eminebat,
quem virtus et scientia
perfectum exhibebat.

ps. Domine, dominus.

[28]

V. Amavit eum dominus.

[28bis]

V. Ellegit eum dominus in sacerdotem
sibi

R. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

[29]

lectio iii

O laudabile furtum et beatum commertium, quo illic restauratur episcopus fidelis et hic noster salvatur populus! Condentes vero santissima membra vase purissimo, clam omnibus exierunt ab oppido. Rediens autem praelibatus antistes cremonam, secum

²⁶ Curricula] circula OX.

²⁷ perfruebatur ita] perficiebatur ita OX.

²⁸ Verba] Verba mea OX.

optata attulit gaudia. Qui propriam ingressus urbem, advocans plebem, cunctis beatissimi corpus ostendit ymerii. Prostratus etenim in oratione populus obnixe laudabat dominum, qui talem illis dederat patronum. Cumque in sancti patris laude persisterent plurima, petierunt ecclesiam et in honorem eius mysteria celebrare. Tunc reconditum est sacrosanctum corpus scrinio decorato decentius post sanctae dei genetricis altare, quod illo tempore conditum erat in australi parte illius ecclesiae, ubi permansit diutius non in altari positum, quia deerat condendi locus

[30]

R. Utebatur agresti pabulo
vir futurus pastor in populo,
crucifixus presenti²⁹ seculo
[*]cohereret³⁰ ut cristo sedulo.
V. Celesti curie iungi promeruit,
qui carnis glorie florem exhorruit. Co.

[31]

Lectio v

Sed tamen ut sanctus semper celebratur per annos colebatur. Laudabilis autem praefatus pontifex, tanto patre gaudens, animadvertibat qualiter sancti corpus conderet sacrum, sed tamen non fuit hoc illi datum, quia imperiali servitio coactus, constantinopolim directus, huc amplius haud est reversus. Temporibus tandem venerabilis elerici subsequentis episcopi, non immemor Dominus sui confessoris ymerii, volens illum singillatim condi, permisit uni cubiculariorum praesulis modo praedicti, volenti construere cryptam in sancti honore patris suae causa salutis. Qua de re idem cubicularius, saevo infirmitatis vinculo nexus, divina virtute pristinae sanitati mox est redditus. Quo vero fideliter laborante in opere sancto domini sui pontificis suffragio remuneratum credimus utroque praemio.

[32]

R. Ingressus urbem meliam
suo pastore viduam,
dum precibus instatur,
plebe per Dei gratiam.
[*] Dignus ad sacram³¹ infulam
vir sanctus revelatur.
V. Sic in domo dominica³²
cunctis ut sit lucifica
lucerna sublimatur.

[33]

Lectio vi

Peracta autem cripta et polita intrinsecus, cum omni clero et populo conveniens episcopus alma translatione summaque iubilatione beatum corpus condivit aromatibus in loco orationis,

²⁹ Presenti] impuro OX.

³⁰ Cohereret] coheret OX.

³¹ Sacram] sacrum OX.

³² Dominica] deifica (?) OX.

loco colendo omnibus, ubi divina celebrantur mysteria et devote poscentibus donantur auxilia ac aegrotis innumerabilibus restauratur sospitas. Est fandum patris nunc de virtutibus almi. Interea paucis iam transactis diebus advenit quidam utroque lumine caecus et ante sacrum ymerii altare corruit pronus, credens se illuminaturum sancti virtutibus. Cum in oratione sedula perseverans, denique sancti praestolaretur misericordiam, optata suscepit munera.

[34]

R. Transit tandem pastor ad pascua
carnis morte celi conspicua,

[*] Yhesu pie, nos per ymerium
in celeste duc refectorium.

V. Te cupivit, dilexit, docuit,
prosit nobis ut tibi placuit. Yhe.
Gloria patri et filio
et spiritui sancto.

in iii nocturno

[35]

a. Condolebat pater
pressis pauperie
sicut pia mater
nati miserie.
ps. Domine quis.

[36]

a. Revelatur sancto
divino spiritu hora
qua de mundo
migraret obitu.
ps. Domine in virtute.

[37]

[a.] Circha congregatis
pastorem ovibus
celi cum beatis
recessit civibus³³.
Ps. Domini est terra.

[38]

R. Invenit dominus.

[38bis]

V. Tu es sacerdos in eternum.
R. Secundum ordinem melchisedech.

[39]

Tres ultimae lectiones leguntur de miraculis.

[40]

lectio vi

Beatissimi itaque ymerii merita dignissima recolentes nec non admiranda eius miracula nuper nobis exhibita conscribentes, ut ex ipso ordine gestorum veritas pateat a primo incipientes reliqua

³³ Recessit civibus] triumphat civibus OX.

prosequamur. Non enim possumus que vidimus et audivimus non loqui. Sicut enim audivimus sic vidimus in civitate domini in templo beato ymerii in episcopatu siquidem brixienti instante solempnitate confessoris nostri. Vir quidam magne devotionis et fidei alias properans sue persuasit uxori: «Caveas tibi uxor diligentius ab omni opere et ab omni labore quiescere studeas, quia hodie cremone beate (*sic*) ymerii celebratur solempnitas. O magne fidei mira devotio, o pauperis et ignobilis predicanda nobilitas.

[41]

R. O rem digna quam fecisti
sacris ymerii[i] laudibus
dum cremone tribuisti
te protectorem civibus.
[*] Nobis ergo presul cristi
tuis succurre precibus.
V. Tu qui mundum claruisti
doctrinis et virtutibus
adsis choro isti
totis clamanti viribus. No[bis].

[42]

lectio viii

Qui licet pauper et ignobilis temporalia negligens commoda sabbatum mentis diligens verum sabbatismum sibi thesaurizat et requiem. In qua adimpletur quod per apostolum dicitur. Contemptibilia et ignobilia ellegit deus et confundat fortia. Et quod ipsa veritas loquitur. Confitebor tibi patri celi et terre quia abscondisti hec a sapientibus et revelasti ea parvulis. Uxor autem videns vicinas suas consuetis vacare operibus circha consuetum et ipsa deliberat opus et contempto prudentis viri edito sua usa consilio sicut erat eius officii textuli se tradidit operi. O mulieris indevota presumptio, o legitimi ordinis immoderata confusio.

[43]

R. Felix abrucia³⁴
que natum genuit
plus tamen melia
que patrem habuit.
[*] Ad hec per omnia
cremona floruit
que sanctum tenuit.
V. Imerii celice³⁵
cristo nos socia
per quem magnifice
splendet ecclesia.

[44]

lectio ix

Contra doctrinam etenim apostoli uxor damnatur, caput negligitur, velamentum subiectionis abicitur, divinus cultus relinquitur, sanctus contempnitur. Mulier enim gloria est viri, non enim vir ex

³⁴ Abrucia] brucia OX.

³⁵ Imerii celice] Ymerii celite OX.

muliere sed mulier ex viro et ideo super caput suum velamen subiectionis debet habere, et mulier deinde temptans et homine divina abiciens gratiam inimicam obedientie supernam in se provocat vindictam. Cum etenim intenta esset operi, subito brachium eius gravatur et debilitatur et consueto vigore privatum ab incepto retrahatur, demum manus ipsa prius extensa reflectitur, reflexa contrahitur, contracta nullo conamine aperitur. Et quanto magis nititur, tanto magis quasi in truncum redigitur.

[45]

R. Dum sacris membris sedule
cremone preparatur
mausoleum a presule,
plebs tota congregatur.
Stilantis gutta situle
cecus illuminatur.
V. Egris salus refunditur,
argentum quod appenditur
mire multiplicatur. Sti.
Gloria patri et filio
et spiritui sancto³⁶.

COD XI + COD VIII + OX

IN LAUDES

[46]

a. Laudis deo sonorius
plena vox offeratur
per quem presul ymerius
in celo coronatur.

[48]

[a.] Hic sermone melifluus
totum quod predicabat
primum in se vir strenuus
exemplo demonstrabat.

[49]

an. Almum quisquis hunc adiit
adversis occupatus
ovans ad sua rediit
ab ipso consolatus³⁷.

[50]

an. Divinum per ymerium
cultus erigebatur
et demonis imperium
omnino frangebatur³⁸.

OX

AD LAUDES ET PER HORAS

[47]

ps. Dominus regnat *cum reliquis*.

³⁶ *Responsorium IX omittit OX.*

³⁷ ab ipso consolatus] ad sua consolatus OX.

[51]

a. Collaudet omnis spiritus
hac die sacra deum
qua confessor hic inclitus
assumptus est ad deum.

[52]

An. V. Os iusti.

[53]

Capitulum. Ecce sacerdos magnus³⁹.

[54]

Hymnus

A plumbo contradictum
argentum fit mirificum,
appense lance quociens
crevit et libra tociens.

Divini nutu demones,
claudos curat et debiles,
morbos depellit noxios,
cecos adornat oculos.

Surdis auditus redditur,
mutorum lingua solvitur,
artus parent officiis
prefati sancti meritis

Istius deus precibus
da veniam sceleribus,
nobis succurre miseris
et salva patrociniis.

Sit tibi laus et gloria.

[55]

V. Ora pro nobis.

R. Ut digni .

[56]

Ad bn. an. Salve⁴⁰ decus omnis ecclesie
cremonensis clara lux patrie,
o confessor ymerii gratie
intercessor sis nobis et⁴¹ venie.

[57]

*Ad iii vi et nonam capitulum et responsum breve dicentur de
confessore pontifice preter orationem.*

³⁸ Frangebatur] fugabatur OX.

³⁹ Eccli 44,16-17.

⁴⁰ Salve] Salva OX.

⁴¹ Et] *omittit* Cod VIII.

COD XI + COD VIII + OX

IN SECUNDIS VESPERIS

[58] *ut supra*

59]

Ad magn. O pastor egregie

lucerna decora⁴²

speculum munditie

vox christi sonora

vere penitentie

spatium implora

roganti familie

mortis adstans hora.

OX

AD VESPERAS

[58bis] *an.* Laudis deo sonorius *cum reliquis psalmis de confessore pontifice, capitulum et hymnus et versus ut supra.*

[60] *ps.* Magnificat anima.

⁴² Lucerna decora] ymerii decora lucerna OX.

TRANSLATIO SANCTI HYMERII

Non so se è corretto definire la seguente una edizione critica, poiché non esistono manoscritti completi che la trasmettano. Però, rispetto alla edizione a stampa dei Bollandisti e di altri autori del '700⁴³ sono stati ritrovati due testimoni manoscritti certamente cremonesi: un bifoglio mutilo che ci trasmette la prima parte di quest'operetta e un *Breviario* cremonese conservato a Oxford che ci trasmette letture del Mattutino della festa del santo, delle quali le prime sei sono la parte iniziale della *Translatio*⁴⁴.

Qui ritrascrivo, poiché è completo rispetto ai manoscritti rinvenuti, il testo riprodotto dall'Ughelli nell'opera *Italia Sacra* (= Ughelli), testo ripreso poi dagli *Acta Sanctorum* (= AA. SS.). Nella prima parte della narrazione saranno indicate in nota le varianti dei due testimoni antichi, che dimostrano di essere stati copiati dalla medesima fonte, vista l'identità delle varianti. Dove l'edizione dei Bollandisti ha ommesso alcune frasi testimoniate invece dai manoscritti, il testo è stato integrato inserendo le parti mancanti e trascrivendole in carattere a corpo minore. L'ortografia è stata allineata agli usi attuali, eliminando le ridondanze settecentesche. La numerazione dei paragrafi è la stessa di *Acta Sanctorum*.

1. Fuit in diebus Othonis maioris, clarissimi imperatori, quidam Cremonensis episcopus bonae memoriae, Luizo, intimus⁴⁵ sumista regius, in commisso benignus⁴⁶, in consilio providus, amore divino denique⁴⁷ repletus, ut tanti patris Hymerii inventor⁴⁸ et portitor fieret almus. Qui cum frequenter ingrediens et exiens a facie regia, fideliterque agens erga praecepta imperialia⁴⁹, Romanis inesset partibus, venit ad eum Americensis⁵⁰ episcopus quem malevola⁵¹ turbatio invidiosaque⁵² accusatio fecerat extorrem⁵³ a conspectu regio⁵⁴. Qui sic est orsus fari voce lugubri : «Pater carissime, quem imperator in secundo⁵⁵ regni culmine dicavit, deprecor mihi⁵⁶ subvenire⁵⁷, quoniam quadam accusatione damnatus⁵⁸, nugecula⁵⁹ ac iniuste acri percussus sententia, imperiali sum privatus gratia. Nunc, ergo, adiuva me⁶⁰, meam condolens abiectionem⁶¹.

⁴³ F. UGHELLI, *Italia Sacra*, IV, Venetiis 1719², coll. 589-591; AA. SS. *Iunii*, III, Antuerpiae 1701, pp. 376-377; ZACCARIA, *Cremonensium*, pp. 88-93; BHL, I, p. 589 n. 3957.

⁴⁴ CR = CREMONA, Archivio di Stato, Comune di Cremona, Frag. Cod. n. 82 (296).

OX = OXFORD, Bodleian Library, *Breviario*, Ms. Can. Lit. 165, sec. XV, f. 315v-317r. Il numero che segue la sigla indica il numero della lettura del Mattutino.

⁴⁵ Intimus] *omittit* AA. SS.

⁴⁶ In commisso benignus] *omittit* Ughelli.

⁴⁷ Denique] sicque CR OX I / Donisque AA. SS.

⁴⁸ Inventor] aptus inventor CR OX I.

⁴⁹ Praecepta imperialia] imperialia praecepta CR OX I / Praecepta imperatoris AA. SS.

⁵⁰ Americensis] Meliensis CR OX I / Ameriensis AA. SS.

⁵¹ Malevola] malivola CR OX I.

⁵² invidiosaque] discorsque CR OX IAA. SS.

⁵³ extorrem] expertem CR OX I.

⁵⁴ Regio] *omittit* AA. SS.

⁵⁵ In secundo] in saeculi CR OX I.

⁵⁶ Mihi] michi CR OX I.

⁵⁷ *Hic in OX explicit lectio prima.*

⁵⁸ Damnatus] dapnatus CR dampnatus OX II.

⁵⁹ Nugecula] nugera CR nugerla OX II / Nugaciola AA. SS.

⁶⁰ Me] *omittit* OX II.

⁶¹ Abiectionem] abieccionem CR

Recompensabo enim⁶² te quovis munere». Cui ille: «Si felix, inquit, sanctorum corporibus me habendo aliquod felicem feceris, te reddam benevolentiae⁶³ pristinae regis». Ad haec ille: «Non audeo, inquit, in hoc tuis satisfacere rogationibus. Condita enim sunt sanctorum corpora sacris altaribus⁶⁴, sed est mihi unus, arca in lignea positus, quem illius loci incolae summo venerantur honore⁶⁵, Hymerius⁶⁶ nomine. Si hunc tibi inferre valerem ratione aliqua et ad tuam possem transferre patriam, te fore laetandum scio tanto patre beato.

2. His vero relatis sermonibus, ad Ameriae oppidum⁶⁷ venere protinus et alma calliditate ingressi sunt ecclesiam, quasi nocturna celebraturi mysteria⁶⁸. Prostrati namque in oratione diutius, multis vacabant votis et precibus, quo suis sancti faverent petitionibus. Vix expletis orationibus, totus ille contremuit locus, in quo iacebat sanctus Hymerius. At⁶⁹ praesules, quamvis tremefacti, tamen spe credula propius sunt aggressi. Interea, custodibus gravi somno⁷⁰ dormientibus, adierunt episcopi ad sancti Hymerii sepulchrum⁷¹. Qui dum caeperunt arcam frangere, beatum corpus conantes extrahere, expergefactus quidam ex custodibus caepit clamare: «Surgite, fratres, surgite velociter: nobis beati Hymerii corpus furatur!». Quo Luizo praesul egregius audito custode⁷², occurrens illico ei dat munera et petiit silentium⁷³. Ille vero, accepto munere⁷⁴ suoque viso episcopo, tacens contulit praesidium.

3. Tunc pontifices, corpus tollentes celebre, adoraverunt tanto gavisum munere⁷⁵. O laudabile furtum et beatum commertium, quo illic restauratur episcopus idelis et hic noster salvatur populus!⁷⁶ Condentes vero santissima membra vase purissimo, clam omnibus exierunt ab oppido. Rediens autem praelibatus antistes Cremonam, secum optata attulit gaudia. Qui propriam ingressus urbem, advocans plebem, cunctis beatissimi Hymerii corpus ostendit⁷⁷. Prostratus etenim in oratione populus obnixè laudabat⁷⁸ Dominum, qui talem illis patronum dederat. Cumque in tanti patris laude persisterent, plurimi⁷⁹ petierunt ecclesiam et⁸⁰ in honorem eius mysteria celebrare. Tunc reconditum est sacrosanctum corpus scrinio decorato decentius post sanctae Dei Genetricis altare, quod illo tempore conditum erat⁸¹ in australi parte illius ecclesiae, ubi permansit diutius non in altari positum, quia deerat condendi locus⁸², sed tamen ut sanctus semper in annos colebatur⁸³. Laudabilis autem praefatus pontifex, tanto patre gaudens, animadvertēbat qualiter sancti corpus⁸⁴ conderet sacrum, sed tamen non fuit hoc illi datum, quia imperiali servitio coactus, Constantinopolim directus, illuc amplius haud est reversus⁸⁵.

⁶² Enim] *omittit* CR.

⁶³ Benevolentiae] *benivolentiae* CR.

⁶⁴ Altaribus] *altaris sic* OX II.

⁶⁵ Summo venerantur honore] *rasura in* CR.

⁶⁶ Hymerius] *Ymerius hoc semper modo scriptum est in* CR OX.

⁶⁷ ad Ameriae oppidum] *ad sancti flaviani opidum CR OX II / Ad Ameriam oppidum AA. SS.*

⁶⁸ *Hic in OX explicit lectio secunda.*

⁶⁹ At] *Ad* OX III.

⁷⁰ Somno] *sopno* CR.

⁷¹ Ad sancti Hymerii sepulchrum] *ad sancti sepulchrum ymerii CR OX III.*

⁷² Praesul egregius audito custode] *praesul audito egregius custode* CR.

⁷³ ei dat munera et petiit silentium] *eique dans munera peciit silentia CR OX III.*

⁷⁴ Accepto munere] *sancto accepto precio CR OX III*

⁷⁵ *Hic in OX explicit lectio tertia.*

⁷⁶ *Addunt* CR OX IV.

⁷⁷ Hymerii corpus ostendit] *corpus ostendit Ymerii CR OX IV.*

⁷⁸ Prostratus... laudat] *Prostrati laudant in* Ughelli.

⁷⁹ Cumque in tanti patris laude persisterent, plurimi petierunt] *Cumque in sancti patris laude persisterent plurima, petierunt CR OX IV.*

⁸⁰ Et] *omittit* AA. SS..

⁸¹ Conditum erat] *erat conditum* CR .

⁸² *Hic in OX explicit lectio quarta.*

⁸³ Semper in annos colebatur] *semper colebatur in annos CR / semper celebratur per annos OX v.*

⁸⁴ Corpus] *omittit* Ughelli.

⁸⁵ Constantinopolim directus, illuc amplius haud est reversus] *huc amplius haud est reversus CR / Constantinopolim directus, huc amplius haud est reversus OX v.*

4. Temporibus tandem venerabilis Olderici⁸⁶ subsequenti episcopi, non immemor Dominus sui confessoris Hymerii, volens illum singillatim condi, permisit uni cubicolariorum praesulis⁸⁷ modo praedicti, volenti⁸⁸ construere cryptam in sancti honore patris suae causa salutis. Qua de re idem cubicularius, saevo infirmitatis vinculo nexus, divina virtute⁸⁹ pristinae sanitati mox est redditus. Quo vero fideliter laborante in opere sancto diu⁹⁰ sui pontificis suffragio remuneratum credimus utroque praemio⁹¹. Peracta autem cripta et polita intrinsecus, cum omni⁹² clero et populo conveniens episcopus alma translatione summaque iubilatione beatum corpus dividit aromatibus in loco orationis, loco colendo omnibus, ubi divina celebrantur mysteria et devote poscentibus donantur auxilia ac aegrotis innumerabilibus restauratur sospitas.

5. Est fandum patris nunc de virtutibus almi⁹³. Interea paucis⁹⁴ iam transactis diebus advenit quidam utroque lumine caecus et ante sacrum Hymerii altare corrui pronus, credens se illuminaturum sancti virtutibus. Cum in oratione sedula⁹⁵ perseverans, denique sancti praestolaretur misericordia, optata suscepit munera⁹⁶. Invadens⁹⁷ enim lympha ex quadam proliens situla in missarum celebratione ducta, stillavit guttas in ore eiusdem caeci⁹⁸ accubantis iuxta et accendit lucernas olim extinctas, inferens fronti clara lumina. Qui fuerat caecus fit sumpto lumine laetus. O mira res et stupenda, omnibus illis inaudita temporibus! Valde enim timenda est Omnipotentis misericordia, qui sic diffidentia conglutinat elementa. Quis enim vidit frigidam quam fontis ignis extincti accendere flammam? Sed haec limpha, caelesti ardore ignita, natatoriam Siloe est imitata, quae quondam iubente Deo aperuit oculos caeco (Io 9,7). Hac itaque fama per totam provinciam divulgata, undique multi conveniebant munera offerentes.

6. Ipse vero Oldericus episcopus, vir bene catholicus, tanto prodigio gavisus, mox praecepit argenteam fabricari tabulam ante sancti patris Hymerii altare ponendam, auro gemmisque decoratam. Qua incepta a pluribus argenti munuscula sunt contracta. Cumque argentum in fabricationis pondere aequalibraretur in lance, ut sciretur cuius quantitatis esset integre, mirifice caepit crescere. Quotiescumque enim ponderabatur trutina, toties libra crescebat altera usque ad peractam tabulam. O nova et admirabilis virtus, quam nusquam accidisse audivimus! Illa nimirum ubertas in argento emanavit, qui olim esurientem populum in deserto saturavit (Gen 41,45; Ps 106,5.9; cfr. Ex 16). Talibus vero praecipuis emanantibus⁹⁹ miraculis, utriusque sexus turba concurrens innumerabilis ad praefatum patrem properat alacris. Multi enim caeci, surdi, aridi, variisque aegritudinibus gravati, haec audientes miracula, festinabant ad beati Hymerii limina et optatae reddebantur sanitati a quacumque fuissent infirmitate detenti, sed et daemonia pluribus obsessi corporibus sancti iussu profuga ululabant, dicentia: «Heu, heu! Ecce nostri generis interitus, ecce nobis aufertur populus!». Quae nempe, ut diximus, miracula et multa alia per plurima viguerunt tempora, sed insorgente flagitio populi, pater sanctus modicum a virtutibus cessavit, quasi soliti oblitus miraculi. Post vero suorum recordans fidelium pastor mirificus, multiformia dietim¹⁰⁰ ostendit prodigia.

7. Laetemur ergo in Domino, carissimi, diem festum patris nostri celebrantes Hymerii¹⁰¹, quondoquidem, si nos senserit festivos fideliter, favebit propitius nostris orationibus feliciter. Ille vero puros diligite servientes, cuius nomen purum dicimus recolentes. Si enim secundum etymologiam nominis respicimus, «Ymeron» Hebraice et Aelolice, «Purus» latine interpretabimur. Vere Domino fuit purus, quia

⁸⁶ Olderici] Oderici CR / Elerici OX v.

⁸⁷ Praesulis] praesidis CR

⁸⁸ volenti] voventi CR.

⁸⁹ divina virtute] divina virtute praeditus CR

⁹⁰ diu] domini CR OX v.

⁹¹ *Hic in OX explicit lectio quinta.*

⁹² Omni] Domini AA. SS.

⁹³ Est fandum patris nunc de virtutibus almi] *omittit* AA. SS.

⁹⁴ paucis] *omittit* CR.

⁹⁵ Sedula] *omittit* CR.

⁹⁶ *Hic explicit CR et lectio sexta in OX.*

⁹⁷ Invadens] inundans CR OX VII AA. SS.

⁹⁸ Caeci] *omittunt* CR OX VII AA. SS.

⁹⁹ Emanantibus] emanationibus *in* Ughelli.

¹⁰⁰ Multiformia dietim] multiforme dictim *in* Ughelli.

¹⁰¹ Cfr. l' *Introitus*: «Gaudeamus omnes in Domino diem festum celebrantes sub honore beati N.: de cuius sollempnitate gaudent Angeli et collaudant Filium Dei».

puritiam cordis est assecutus¹⁰². His itaque peractis salubriter oramus te, sanctissime pater, ut patrociniis tuis fruente, mereamur caelesti munere fieri participes, ipso auxiliante, qui unus in Trinitate vivit et regnat per eterna saeculorum saecula. Amen.

¹⁰² Assecutus] executus AA. SS.

IL «LIBELLUS MIRACULORUM»

sec. XII ex.

Il libello dei miracoli avvenuti alla tomba del santo intorno al 1174 e redatto dal canonico Giovanni ci è pervenuto solo attraverso l'apografo dei Bollandisti, i quali purtroppo non l'hanno trascritto completo, omettendo alcuni passaggi nella prima parte e tutta la parte finale del testo. Ritrascribo qui il testo degli *Acta Sanctorum*, conservandone la numerazione dei paragrafi¹⁰³. Il *Breviario* di Oxford ci ha aiutato a ricostruire alcuni passaggi del paragrafo 2, perché nell'ufficiatura di Imerio questa parte del *libellus miraculorum* va a comporre le letture VII, VIII e IX del terzo notturno del Mattutino¹⁰⁴. Le parti ricostruite sono trascritte in corpo minore.

1. Licet, dilectissimi, dignum Sanctorum conversatum, morem et studia imitari minus digne studeamus; decet tamen ipsorum merita et praeclara mirabilia, tota devotione nobiscum revolvere summaque diligentia venerando et admirando incessanter recolere et cum expedierit et tempus exegerit, non praeterire silentio, sed enarrando et adscribendo memoriae commendare, dicente Domino: «Non est lucerna ponenda sub modio, sed super candelabrum, ut luceat intrantibus domum» (Mt 5,15). Nullum enim bonum est, quod non pulchrius elucescat, si plurimorum notitia comprobatur. Unde Propheta: «Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua» (Ps 9,2), id est, quaecumque dicam, erunt mirabilia. Verum tam eleganti et digno proposito illud davidicum videretur occurrere et quasi ab imcepto trahere: «Peccatori dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas?» (Ps 49,16). Et quod alibi dicitur: «Non est speciosa laus in ore peccatoris» (Eccl 15,9). Verumtamen quia his verbis indevotus repellitur, devotis autem seu corrigendis laus vel lectio non negatur; nonnumquam etiam, iuxta Augustinum, per canales lapideos puri fluvii ad steriles areolas provehuntur aquae; licet audacter, non tamen impudenter, divina opitulante gratia, propositum aggredimur, ipso Domino promittente: «Aperi os tuum et ego implebo illud» (Ps 80,11): non enim est volentis aut currentis, sed Dei miserentis.

2. Beatissimi itaque Hymerii merita dignissima recolentes, nec non admiranda eius miracula nuper nobis exhibita conscribentes, ut ex ipso ordine gestorum veritas pateat, a primo incipientes, reliqua prosequamur. «Non enim possumus, quae vidimus et audivimus, non loqui» (Act 4,20): «sicut enim audivimus, sic vidimus in civitate Domini, in templo» (Ps 47,9-10) beati Hymerii. In episcopatu siquidem Brixienti, instante solemnitate Confessoris nostri, vir quidam magnae devotionis et fidei alio properans, suae persuasit uxori: «Caveas tibi, uxor, diligentius ab omni opere et ab omni labore quiescere studeas, quia hodie Cremonae beati Hymerii celebratur solemnitas. O magnae fidei mira devotio! O pauperis et ignobilis praedicanda nobilitas!¹⁰⁵ Licet pauper et ignobilis, temporalia negligens commoda, sabbatum mentis diligens, verum sabbatismum sibi thesaurizat et requiem. In quo adimpletur quod per apostolicum dicitur: Contemptabilia et ignobilia ellegit deus ut confundat fortia (1Cor 1,28,27). Et quod ipsa veritas loquitur: «Confitebor tibi, patri celi et terrae quia abscondisti haec a sapientibus et revelasti ea parvulis» (Mt 11,25). Uxor autem, videns vicinas suas consuetis vacare operibus, circa consuetum et ipsa deliberat opus et contempto prudentis viri edicto, suo consilio, sicut erat eius officii, textrili se tradidit operi. O mulieris in devota presumptio, o legitimi ordinis immoderata confusio!¹⁰⁶ Contra doctrinam etenim apostoli uxor damnatur, caput negligitur velamentum subiectionis abicitur, divinus cultus relinquitur, sanctus contempnitur. Mulier enim gloria est viri (1Cor 11,7), non enim vir ex muliebri, sed mulier ex viro et ideo super caput suum velamen subiectionis debet habere et mulier deinde temptans et nomine, divina abiciens gratiam inimicam obedientie, supernam in se provocat vindictam. Cum autem¹⁰⁷ esset intenta operi, subito brachium eius gravatur, debilitatur et consueto vigore privatum ab incepto retrahitur: demum

¹⁰³ AA. SS. Iunii, III, Antuerpiae 1701, pp. 373-374; BHL, I, p. 589 n. 3958.

¹⁰⁴ OXFORD, Bodleian Library, *Breviario*, Ms. Can. Lit. 165, sec. XV, ff. 317r-318r.

¹⁰⁵ Beatissimi usque ad nobilitas: lectio VII in Ox ff. 317r-317v.

¹⁰⁶ Qui licet usque ad confusio : lectio VIII in Ox ff. 317v.

¹⁰⁷ autem] etenim Ox f. 318v.

manus ipsa prius extensa reflectitur, reflexa contrahitur et quanto magis nititur, tanto magis quasi in truncum redigitur¹⁰⁸.

3. Viro autem redeunte ad propria et quod factum est admirante, divinum approbat ille iudicium et dignam asserit in uxore vindictam et multis medicorum curis frustra adhibitis, deficiente humano auxilio, divinum expetit; quia non est consilium (Pro 21,30), non est scientia vel fortitudo contra dominum. Ipse utique est clavis, quae aperitu et nemo claudit, claudit et nemo aperit (Is 22,22); ipse eripit et non est qui de manu sua possit eruere (Deut 32,9; Ps 70,11). Voverunt itaque manum ceream beato Hymerio et annuam eius solemnitate studiosius venerari de cetero.

[...] Veniente itaque Octava solemnitate, uterque festinat ad beati Hymerii limina et ceream manum, emptam duplicato pretio, intima devozione offerunt eius altari, adimplentes quod dicitur: «Vovete et reddite Domino Deo vestro» (Ps 75,12). Quid plura? Vix voto adimpleto, manus prius contracta erigitur, erecta omnino extenditur, extensa more solito clauditur et aperitur.

[...] His itaque indubitanter cognitis et omnimoda certitudine approbatis, concurrunt summa devotione Clerus cremonensis et populus utriusque sexus, nobiles et ignobiles, divites et pauperes, senes et iuvenes, et ordinata processione, sonoris laudibus, altifonis vocibus Deum glorificant, Sanctum honorant, miraculum admirando collaudant et in laudem tanti Patroni universa civitas resonat.

4. Praedictum, dilectissimi, miraculum, tamquam aliorum initium et causam sequentium, pro modulo nostrae fragilitatis diligentius executi, quae admiranda sequuntur, suffragante divina gratia, brevius transcribamus. Divulgato itaque priori miraculo et ab omnibus approbato, ardente festinante desiderio devotissimo concurrunt animo, debiles et infirmi, claudi et caeci, aridi et contracti, et quacumque infirmitate detenti, cupientes meritis beati Hymerii misericorditer liberari; adimplentes quod dicitur: «Petite et accipietis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis» (Lc 11,9). Volens autem Dominus Confessorem suum iterato honorari miraculo et praedicta confirmare sequenti testimonio, mirandis plus miranda adiungit continuo. Cuiusdam enim puellae, pluribus cognitae ab annis prioribus manus contracta cunctis videntibus misericorditer aperitur, omnino sana ostenditur et naturali vigore solidata mirabiliter agitur.

[...] Accrescit itaque gaudium gaudio, iubilus cantico, processioni processio, verbum bonum eructat (cfr. Ps 44,2) omnium unanimitas et in laudem Sancti geminatur solemnitas.

5. Et quia devotus Clerus et populus tanti beneficii minime sunt ingrati, sed cum alienigena mundato, ut refert Evangelium, gloriam reddunt Domino (Lc 17,18), divinitus collato multiplici gaudet beneficio. Quia etenim non cessat devotio et obsequium, omnino secundo simile tertium, quartum, quintum in extensis manibus sequitur miraculum: quae propter similitudinem brevius perstrinximus, ne forte seorsum dicta lectori fastidium generarent. Animadvertat itaque devotio vestra, quam fidelis sit promissio illa evangelica: «Qui petit accipit et qui quaerit invenit et pulsanti aperietur» (Lc 11,9) et «qui se humiliat, exaltabitur» (Lc 14,11; 18,14); nec unquam deerit copia largitoris, nisi forte desit assiduitas petitoris; quia «non qui inceperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit» (Mt 10,22). Continuas igitur usque ad aliam Octavam solemnitate, unanimi voto et communi consilio, honorabilis Clerus, una cum suo Pontifice Offredo dignissimo et venerabilibus eius Fratribus Canonicis, festum celebrat elegantis varietate officii; scilicet obsequiis, canticis dignis, hymnis et psalmodiae laudibus, eximiis processionibus, devotis orationibus; fidelis vero populus, mira varietate donorum, spectabili diversitate munerum, decoris scilicet pallii, vasis argenteis, cereis non modicis, nummis innumeris et ceteris dignis oblationibus; misericors vero Dominus, finis omnium et principium, incipiens et consummans, multiplicis novitate miraculi solemnitas sui Confessoris exornat.

6. Prima itaque et secunda die, crebris, ut diximus, coruscantibus miraculis, quia procedente tempore [successerunt] alia admiranda; siquidem nec devotionem vestram taedeat audire, nec parvitatem nostram pigeat scribere. Constat siquidem puerulum, ab annis prioribus lumine privatum, a parentibus ante altare beati Hymerii devotissime oblatum, omnino sperantibus eius suffragio ipsum illuminandum; et quia fidem et devotionem indesinenter offerunt, infantem protinus illuminatum recipiunt. Pius etenim Dominus, eius oculos aperiendo illuminans, caeco visum restituit et miro beneficio contra naturam vertitur in habitum privatio, quod omnibus praesentibus adeo manifestum apparuit, ut ab ipso Pontifice evidentibus signis fuerit approbatum.

[...] Et quia caelestis participes beneficii laudem et devotionem incessanter persolvunt votaue et orationes multiplicando indesinenter offerunt, omnipotens Dominus suae benedictionis gratiam eas multiplicando largitur. Cum enim die noctuque, ut diximus, multitudo adstaret infirmorum, caecorum,

¹⁰⁸ Contra usque ad redigitur: *lectio IX* in Ox ff. 317v.

claudorum, aridorum et similibus expectantium misericordias Domini, mirificans misericordias suas, cuiusdam adultae brachium, longo tempore simul cum mano aridum et contracto, extendendo erigit, erigendo naturali vigore consolidat, solidando membrum utrumque pristino reddit officio.

[...] Et ut cetera brevia dicta facilius teneantur, quod huic simile secundum et tertium miraculum comprobatur [...].

L'ELOGIO DEL MARTIROLOGIO DEL CAPITOLEO (a. 1181)

L'ultimo testo celebrativo del patrono Imerio, prodotto nella seconda metà del sec. XII, è il latercolo al 18 giugno inserito nel *Martirologio del Capitoleo* redatto dal canonico Alberto nel 1181¹⁰⁹. L'annotazione nel nostro martirologio dipende evidentemente dai testi precedenti: la vita narrata in metrica dall'Ufficio (= Ufficio), i racconti della traslazione (= Traslazione) e dei miracoli (= Libello). In nota ne diamo i rimandi, a volte letterali.

*XIII Kalendas Iulii. Cremonae festivitas beatissimi patris nostri YMERII episcopi et confessoris. Qui ex abrutia urbe genitus*¹¹⁰ a primevo etatis curriculo litterarum scientia, vita et moribus sufficienter eruditus, puro corde et casto corpore¹¹¹, sanctorum loca ubicumque terrarum visitabat. Quendam etiam maris insulam introiens, solitariam et heremiticam elegit conversationem¹¹². Ubi pia devotione famulans domino, agresti dummodo sustentabatur cibario¹¹³. In vigiliis, ieiuniis et orationibus pervigil et assiduus, caelestia tantum meditabatur. Contigit interea episcopus civitatis melie concessisse nature. Quo sepulto, ut decet, episcopo beatus ymerius ductus a specu sancto, ingressus est urbem suo orbatam episcopo; tunc illius urbis cives illi obviam concurrentes, licet invitum, et reclamantes ipsum unanimiter elegerunt episcopum et quasi una voce clamabant: «hic noster erit presul»¹¹⁴. Demum vero quovis se clamaret indignum, invitum tunc pontificale suscepit vexillum.

Quo in loco electus adnon iuvenis evo, grandevus deo, fidelis dispensator et prudens quem super familiam suam constituerat Dominus¹¹⁵. In elemosinis pernitium erat sollicitus, mellifluus in predicationem, severus et humilis in correctionem¹¹⁶. Dum autem tali vita beatus frueretur ymerius, obitum sui presensit imminere sancti spiritus revelatione¹¹⁷ et valedicens fratris subito susceptum (*sic*) est ab angelis in sinu habrae. Sepultus autem cum magno decore in arca lignea in sancti Flaviani ecclesia¹¹⁸.

Procedente, vero, tempore, scilicet temporibus ottonis maioris imperatoris, a quodam cremonensi episcopo nomine luizo, concessione miliensi episcopo translatus est cremonam et in maiori ecclesia decenter sepulturae traditus¹¹⁹. Quo in loco innumeris claruit miraculorum signis atque virtutibus. Nam temporibus oldericis subsequentis episcopi, quidam cubicularius, eiusdem presulis permissione, vovit criptam construere in sancti patris honore suae tantummodo causa salutis. Qua decenter expleta, qui detinebatur vinculo infirmitatis factus est compos statim pristinae sanitatis¹²⁰. Quidam etiam utroque lumine cecus, cupiens sanctis virtutibus illuminari, dum oratione sedula ancte sacrum beati ymerii altare christi prestolaretur misericordiam, linfa cadens de situla in missarum celebratione preparata stillavit in facie ceci et sic qui fuerat cecus, fit sumpto lumine laetus¹²¹.

Preterea tali fama ubique diutius divulgata ex muneribus undique collocatis percoepit prenominatum antistes argenteam fabricari tabulam auro gemmisque decoratam ante sancti patris altare ponendam. Quotiens autem ponderabatur argentum, ut sciretur cuius esset quantitas, libra ponderata geminabatur usque ad tabulae perfectionem¹²².

¹⁰⁹ CREMONA, Archivio Storico Diocesano, *Martirologio di Adone*, a. 1181, ff. 125-127.

¹¹⁰ Ufficio, ant. 15; resp. 43.

¹¹¹ Ufficio ant. 16; resp. 22;

¹¹² Ufficio resp. 24.

¹¹³ Ufficio resp. 30.

¹¹⁴ Ufficio resp. 32.

¹¹⁵ Mt 24,45; ant. de *Commune Confessorum Pontificum*.

¹¹⁶ Ufficio ant. 25-27. 35. 48

¹¹⁷ Ufficio ant. 36.

¹¹⁸ Traslazione n. 2, nota 66.

¹¹⁹ Traslazione nn. 1-3.

¹²⁰ Traslazione n. 4.

¹²¹ Traslazione n. 5; Ufficio Inno n. 8; resp. 45.

¹²² Traslazione n. 6; Ufficio Inno n. 54.

Nostris quoque temporibus domino offredo persidente in cathedra pontificali, cuiusdam mulieris manus in brixianis partibus, quia fuit inobediens precipienti sui viro ut festum sancti ymerii imminens tota devotione celebraret, mirifice exaurit. Venientem autem octava prefatae solempnitatis uterque festinat ad beati ymerii limina et ceream manus eius altario tota devotione offerentes. Summa festinatione impetrant implorata. Vix enim voto adimpleto manus erigitur, erecta ostenditur et extensa solito more clauditur et aperitur¹²³. Multis etiam videntibus cuiusdam alterius puellae pluribus cognitae manus contracta misericorditer aperitur¹²⁴ et puerulus ab annis primibus lumine privatus illuminatur¹²⁵.

¹²³ Libello nn. 2-3.

¹²⁴ Libello n. 4.

¹²⁵ Libello n. 6.